Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Impedimentum VI. Cultus disparitas. Cap. VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

Visual Library

contingit in impedimento ſolemnis Voti, vel Ordinis Sacri, quod, quamvis in altero dumtaxat inveniatur, irritum tamen reddit matrimonium. Sunt nihilominus in caſu noſtro aliquot exceptiones, quas admittit Sanchez, *a* reiicit verò Averſa, *b* quaſque, ſi tempus tibi ſuppetit, & curioſitas movet, vel neceſſitas decidendi urgeat, apud ipſos lege, rariſſimè enim evenire ſolent.

a *Sanc. l.* 7 *matr. d.* 78. *n.* 3.
b *Averſa de matr. q.* 18. *ſect.* 5.

CAPUT VII.

Impedimentum Sextum.

Cultus diſparitas.

1. INter perſonam baptizatam, & non baptizatam, quamvis Cathecumenam, invalidè initur Matrimonium, quod ſignificamus, cum diſparitatem cultus eſſe aſſerimus impedimentum dirimens. Id autem eſt inductum Jure Eccleſiaſtico propter periculum, quod ſubiret proles naſcitura pravæ educationis. Quod quidem periculum notat, Matrimonium inter Fidelem, & Infidelem illicitum jure naturæ eſſe, ſed non notat eſſe invalidum, ut minus rectè aliquot pauci putant. Locum Juris, in quo hoc impedimentum conſtituitur, non facilè invenies; id, quod pluribus diſputatum habes apud *c* Pontium; ſatis tamen nobis eſt, aſſerere, ſaltem ipſa conſuetudine; & uſu à Sancta Eccleſia illud fuiſſe approbatum.

2. Si Infidelitas ſuperveniat Matrimonio jam contracto, illud non dirimit, ſed qua ratione poſſit eſſe cauſa divortii infra dicam. *d*

3. Infidelem autem. dixi, nam cum hæretico contractum Matrimonium à Catholico validum eſt, quia Hæreticus ſupponitur baptizatus; erit tamen illicitum, quia regulariter timentur pericula malæ educationis filiorum, vel perverſionis alterius conjugis, quibus tamen in raro caſu ceſſantibus, poſſet Summus Pontifex diſpenſare, Quæ, & ſimilia diſtinctius dicam infra, *e* & paſsim *f* Doctores.

c *Pont. l.* 7. *n.* 17.
d *Infra Tr.* 7. *De oblig. c.* 3. §. 7. *à n.* 2.
e *Infra Tr.* 5. *de matr. ad Sacr. c.* 5. *& Tract.* 7. *De oblig. c.* 3. §. *à n.* 2.
f *Sanc. l.* 7. *d.* 72. *Conin. d.* 31. *dub.* 3. *a n.* 41. *Delugo de Fide d.* 62. *qu.* 2. *Averſa* 3. *c. ſect.* 2.

***

CAPUT VIII.

Impedimentum Septimum.

Vis.

DE Impedimento hoc, quod exurgit ex Vi, Coactione, Metu, dicemus commodius *g* non multo poſt.

g *Infra Tr.* 3 *de ſponſ. c.* 1. §. 2. *& Tr.* 4. *de conſenſu c.* 6. §. 2.

CAPUT IX.

Impedimentum Octavum.

Ordo Sacer.

ORdinem Sacrum, hoc eſt Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium eſſe in Eccleſia Latina impedimentum dirimens Matrimonium, eſt ita certum ut ſit ex *h* Tridentino de Fide.

2. Adde inſuper, ſi ordinatus quis in Sacris audeat Matrimonium contrahere, incidere in excommunicationem latæ ſententiæ ut *i* infra dicemus, & incidere in irregularitatem Bigamiæ ſimilitudinariæ. ut explicabimus, cum de Irregularitate, & denique poſt ſententiam incidere in privationem beneficiorum, ut habetur in Jure. *k*

7. Inquires. In Eccleſia Græca, ſeu Orientali, ſi ordinatus in Sacris ducat uxorem, validène ducit? Nam licet Græcis jam uxoratis antea, concedatur poſtea, Ordines Sacros, non verò Epiſcopatum, validè ſuſcipere, & illos in Matrimonio exercere; tamen non conceditur Matrimonio conjungi eos, qui Sacris Ordinibus ſunt inſigniti: nam propterea quæritur, an ſit ipſis Ordo Sacer impedimentum dirimens, ita, ut, ſi Græcus Sacerdos uxorem ducat, non illicitè modò, ſed invalidè ducat?

4. Reſpondeo, Invalidè dicit Azor *l*, validè Arcudius, *m* cui fortaſſe magis habebit fidem Lector, utpote viro docto ex Græcis, & in ſuis ritibus peritiori, quàm Azor. Ipſum adi.

5. Multa hic eſſent ſuperaddenda, niſi alibi de iis ſufficienter dixiſſem, nam propterea hic indicare loca ſatis erit. Quodnam Sacrilegiũ committat Sacro Ordine initiatus, ſi contra Caſtitatem peccet, dixi in Methodo. *n*

h *Trid. ſeſſ.* 24. *de matr. c.* 3.
i *Inf. hoc eodẽ tr. c.* 17. §. 4.
k *C. Decernimus diſt.* 28.
l *Azor. T.* 1. *tr.* 13. *l.* 14. *q.* 7.
m *Arcud. in Concord.* 7. *c.* 41.
n *In Meth. Conſ. l.* 2. *c.* 7. §. 14. *&* 5. 1.

Quid

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN